



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Mysteria Complectitur Incarnationis & Infantiae Iesv Christi Domini
Nostri, vsque ad eius Baptismum

Puente, Luis de la

Coloniae, 1613

Med. 1. De Sanctiſimæ Trinitatis decreto, vt secunda eius Persona homo
fieret pro humano Genere reparando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54647](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54647)

MEDITATIO I.

DE SANCTISSIMAE TRI-
nitatis Decreto, ut secunda diuina Per-
sona, pro reparatione humani Gene-
ris, peccato Adami sauciati
homo fieret.

IN huius & sequentium de hoc My-
sterio Meditationum vestibula, ope-
raretur fuerit, Deum Dominū no-
strum Trinum & Vnum, in Throno
infinita Maiestatis sedentem imaginari a Iride ^{a apoc. 4.3.}
(vt S. Ioannes vidit) circumdatum, infinita eius
misericordia simbolo, tribus BONITATIS, SA-
PIENTIAE, & POTENTIAE infinita colo-
ribus distincto: quibus omnia gubernat, vult,
scit, ac potest nostris miseris opem ferre: mox
homines oēs & me ipsum inter illos, ob Adami
peccatum humi iacentes, spoliatos, vulneratos,
semiuuos, illi misero similes, qui, b ab Hierusa ^{b Luc. 10.30}
lem descēdens in Iericho, incidit in latrones:
tres verò ipsas diuinas Personas illos aspiciētes,
eorum miseriae compatiētes, ac de medio repa-
rationis consultantēs, intuebor.

PIA hac representatione praemissa, prostra-
tus spiritu corā illo Throno, adoratq; ipsa Tri-
nitate sanctissima, humillimē supplicabo, diuina
sua luce me illustret, quò in ita illius consilij ac de-
creti profunditatem, quod ad nostrā reparatio-
nem elegit, benè intelligam, fructumq; ex eo ca-
piam. Dulcis verò ac iucundus caelestis iridis aspe-

c Hebr. 4.
16.

*Et us, animum mihi addet, c Adeundi (vt Aposto-
lus loquitur) cum fiducia ad Thronum gratiae
eius; vt misericordiam consequar, & gratiam
inueniam in auxilio opportuno, quod est tem-
pore orationis.*

PUNCTVM I.

D. Tho. 3.
p. q. 1. a 1.
q. 2. q. 4.
4. a. 1.

P R I M V M P V N C T V M, & ceterorum fun-
damentum erit, Decretum illud confide-
rare, quo Deus in aeternitate sua statuit,
humanum genus ob Adami peccatum colla-
psum, erigere; causis, quae ipsum ad tale De-
cretum induxerunt, diligentius perpensis: a-
liis quidem ex parte eius misericordiae; aliis ex
parte nostrae miseriae, & luctuosi modi, quo in-
eam deuenimus.

I.

a Hebr. 2. 16.

Nusquam
Angelos ap-
prehendit;
sed semen
Abrahae.

b 2. Pet. 2. 4

c Sap. 11.

d 24. & 12.

10. 20.

P R I M V M ergo considerandum, Deum duo
creaturarum genera, ad imaginem & similitu-
dinem suam, condidisse, quae ipsi seruirent, e-
umque laudarent, a *Angelos & homines*: illos
in caelo Empyreo; hos in Paradiso terreno. Vi-
densque magnam Angelorum partem & ho-
mines peccasse, decreuit, Iustitiae suae seueri-
tatem in Angelos ostendere; quos ira suae sa-
gittis transfixos, e *caelo in infernum* repulit;
nullo eis poenitentiae loco relicto: in homines ve-
ro, etsi eadem ira & supplicio dignos, voluit
infinitas **MISERICORDIAE** suae diui-
tias ostendere; remedium statuens, quo ex mi-
seria, in quam inciderant, eriperentur; & d
lapsus sui veniam obtinerent. Nihil enim ita
Dei misericordiam exaltat, atque peccatorum
condonatio, & erga proprios hostes commi-
seratio.

seratio.

feratio. Nec porro decebat Misericordiam huic
 occasione, ex qua tantoperè exaltaretur, sese
 subducere. Quare verissimè dixit Apost. e Ap *c Tit. 3. 4.*
paruit benignitas & humanitas Saluatoris no-
stri Dei, non ex operibus iustitia, qua fecimus
nos; sed secundum suam misericordiam saluos
nos fecit. Cuius benignitatis causâ infinitas ei
 debent omnes homines gratias agere, atten-
 dentes quòd, cum viles omninò essent, ac di-
 gni, in quos diuina iustitia seuerissimè anim-
 aduerteret; misericordia tamen inter ipsos ac
 Deum sese interponens, eos ab ea seueritate
 protexerit: quod non fecit cum Angelis, mul-
 tò nobis nobilioribus. O æterne Deus, verè mi-
 sericordiarum Pater, qua ratione tanto bene-
 ficio poterimus respondere, quo immerenti-
 bus remedium, ad veniam peccatorum obti-
 nendam, dedisti! Laudent te pro tanta hac gra-
 tia Angeli illi, qui fidelestibi in cælo persti-
 terunt: Agnoscant illam, fructumque ex ea
 capiant homines, qui sunt in terra: & anima
 mea deficiat amore tui, multitudinem can-
 tans, & magnitudinem misericordiae tuæ, cu-
 ius intuitu omnia mea peccata mihi dimitti
 supplico, gratiamque conferri, ad illa nun-
 quam reuertendi.

EA NDEM porro considerationem opportu-
 nè mihi ipsi accommodabo, perpendens: quòd,
 etsi Deus misericordiam suam statuerit peccatori-
 bus veniam; ac re ipsa det eam illis, qui verò
 dolore & pœnitentiâ sese ipsi submitunt; re-
 belles tamen seuerâ iustitia, sicut Dæmones,

repellat ac damnet. Quare sollicitè mihi curandum est, ne misericordiæ resistam; nisi velim seueras iustitiæ manus experiri.

II.

SECUNDO loco perpendendæ sunt causæ, quæ modo aliquo diuinam misericordiam ad miseriam nostræ compassionem permouerunt. Quarum una illa fuit, quod Adamus præuacatione sua non sibi soli nocuerit, sed in posteros etiam suos illam transfuderit; quos propterea necesse erat peccatores, & æternæ mortis carcerisq; reos nasci; quam tamen præuacationem non voluntate singulorum propria, sed quam in primo parente habuisse censebantur, incurserunt. Cum verò Deus tantoperè in misericordia excelleret, non potuit eius clementia ferre, totum suum opus, ob vnius culpam, ita miserè perire; & spectabilem hunc mundum, qui hominis causam conditus erat, sine suo frustrari, peccatori, & creaturis sui inimico seruiendo. Quare tanto malo remedium adhibere decreuit. Ex quo duas confidentiæ, de diuina misericordia, causas eliciam; quas ut duo nomina siue titulos ad propriæ miseriam remedium impetrandum, possim exemplo Dauidis allegare. Altera est, quod in

f Psal. 50. 6 *peccato conceptus sum*: ex quo miseriam meam
g Psal. 137. 8 *omnes originem ducunt*: Altera quod *g opus*
sum manuum eius; quare non decet me repellere in finem, aut odisse, qui *h nihil odit eorum*
qua fecit. O Misericordissime Pater, qui misericordiam, ex qua filij tui formati sumus, per spectam habes: quæ à te quidem bona producit, sed fuit

ab

ab Adamo corrupta: compatere nobis, & repara illatam ab eo corruptionem: quod bonum à te conditum restauretur. Manus etiam meae deleuerunt, quod tuæ fabricarunt: reparent ergo tuæ gratiâ, quod meæ culpâ destruxerunt.

ALIA causa ad compassionem mouens fuit, quod homo peccauit quidē, sed tentatus & inductus à Dæmone, eius bono inuidente, & in Deum ipsum rabie quadam actio: qui hac ratione vindictâ de creatore sumere conabatur; in creatura quam ab eo diligi, & in qua eiusdem imaginē expressam esse videbat. Propterea ergo Deus compassione motus, hominis causam vt propriam accipiens, remedium illi statuit adferre; ne semper hostis de victoria gloriaretur. Ideoq; statim, post Adami lapsum, serpenti, hoc est ipsi Dæmoni denunciauit: *i Inimicitias ponam inter te & mulierem: & sementuum & semen illius: ipsa cōtinet caput tuum. & vincet eum. à quo victa fuit; ac de suo triūphatore triūphabit.* Ex quo etiâ spes mihi fit, quod mihi quoq; compatietur; meamq; causam vt propriâ accipiet: siquidē eâdem nunc me Dæmon persequitur inuidiâ ac rabie, qua primū hominem. Ideoq; cum Dauide licebit dicere: *Exurge Deus, iudica causam tuam. & iuuam me gratiâ tuâ, serpentis caput contere; qui, quod te odio habeat, semper me persequitur.*

PUNCTVM II.

SECUNDO ipsum Sanctissimę TRINITATIS Decretū est perpendendū, quo statutit secundam Personā, hoc est *Filium*, fieri

hominem, & humanum genus Adami peccato sauciatum redimere. Expendendæ etiam sunt eius Decreti causæ, tam ex parte nostra, quæ est nostra necessitas & miseria: quàm ex parte Dei, quæ est infinita eius misericordia.

CONSIDERABO ITAQUE PRIMVM: Sanctissimã TRINITATEM in æternitate sua, plura vidisse humanæ reparationis media. Nã aut purã meraq; misericordiã peccatũ poterat condonare; aut creare nouũ hominem, qui pro cæteris satisfaceret; aut curã hanc Seraphinis committere. Sed noluit, quod facilius aut minus perfectum esset, eligere; nec alteri alicui præclarũ hoc opus committere: sed aptissimũ, quod esse posset, medium elegit: hoc est, vt spartam hanc ipse Dei filius assumeret; homoque fieret, vt hominem redimeret. Nullũ itaque aptiorem reparatorem, nullum potentius remedium, nullam copiosorem redemptionem nobis potuit adhibere; dum voluit, *a vbi abundauit delictum, superabundare & gratiam.*

a Rom 5.20.

II.

DEINDE: quò veritas hæc appareat magis, expende, quid primus homo fecerit cõtra DEVM; quidq; Deus versus hominẽ faciat: & vtriusq; cogitationes inuentionelq; inter se inuicem confer. Adamus, n. superbè disponebat, contra Deum sese erigere, eius diuinitatem & sapientiã, rerumq; omnium imperiũ sibi vsurpare: ob quod scelus, cũ dignus esset, qui à Deo humiliaretur, & odio haberetur, totaque eius natura in nihilum redigeretur: Deus tantum malum pro malo reddere noluit: sed infinitã

inã

suā bonitate, non solum iniuriam condonare
statuit; sed in super tale remediū inuenit, quod
sibi quidem summæ abiectioni & labori esset;
homini verò honori & vtilitati. Nam b *cum di-* b Phil. 2. 6.
uiniū ipsum verbum in forma Dei esset. semetip-
sum exinanuit, formam serui accipiens, in si-
mitudine hominum factum, inimici sui natu-
ram mortalem & patibilem induit, sibiq; in v-
nitate personę coniunxit, quò eum à summa, in
qua, ob culpam iacebat, miseria, erigeret; & ad
summum honorem & felicitatē, quam ipsius
gratiā habere poterat, eueheret: quandoquidē
(Augustino teste) Deus factus est homo, quò
homo fieret Deus: & virtute Dei incarnati, ho-
mines Dei fierent participatione.

Serm. 9. de
Nat.

ET tandem, inspecto hoc diuino decreto,
in admirationem rapiar & stuporem de infini-
ta Dei bonitate & misericordia: quam modò
cum Moysē extollam, dicens; c *O Dominator* c Exo. 34. 6.
Domine Deus, misericors & clemēs, patiens &
multę miserationis, ac verax, qui custodis mise-
ricordiam in millia: qui aufers iniquitatem &
scelera, atq; peccata: nullusq; apud te per se in-
nocens est; nisi tu dederis: modò Seraphinorū
instar, Dei faciem pedesq; operiam, hęc Diui-
nitatis cum Humanitate vnitionem venerans,
clamansq; d *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Domi-* d Isai. 6. 3.
nus Deus exercituum: plena est omnis terra glo-
ria eius, ob misericordię magnitudinem. Aliàs
eidē huic Domino gratias agam pro tam glo-
rioso hoc beneficio, in hunc modum: O Deus
æternę, pro admiranda hac in meum commo-

dum inuentione, qua ut altitudinem tuam mihi communicares, vilitatem meam assumpsisti, summas gratias ago. Concede mihi, quæso, ut tuo me subiiciam obsequio: sicut te pro meo remedio demisisti: præstemque ego summum, quod tui obsequij causa possum; qui summum quod potuisti, mei causa præstitisti. O anima mea, fac Dei tui amore quidquid potes: siquidem totum id satis parum erit, si cum tuo debito illud contuleris. Disce Deum plurimi æstimare, quo te ipse æstimet. & cum ipse contempere te exaltauerit, ne quid, quod à tali dignitate degenere, admitte.

a Leo ser. 1.
de Nauis.

PUNCTVM III.

TERTIÒ considera, hoc INCARNATIONIS mysterio voluisse Deum, infinitam perfectionum & virtutum suarum excellentiam nobis manifestare; dum eas, magnæ utilitatis nostræ causâ, in summa, quam habere poterant, perfectione exhibuit. Quod apprehendere licebit, de præcipuis illarum rationibus.

I. PRIMVM, infinitam suam BONITATEM manifestauit, dum maxima, quâ potuit communicatione esse suum personale, naturæ humanæ coniunxit: cognitionem hac ratione cum toto hominum genere contrahens.

II. CHARITATEM ostendit, dum tam arctâ vnicione hanc naturâ sibi connexuit, ut vnus idemque Deus esset & homo: quo oēs homines vnū essent amore cū Deo: largiente ipso illis gratis ac liberaliter, quod plurimum ipse amabat,

ac æsti-

ac æstimabat : & a cum eo reliqua omnia.

a Rom. 8. 32.

MISERICORDIAM infinitam ostendit, admirando eam nexu, germanaq; cognatione cum iustitia connectens. Neq; enim maior esse potuit misericordia, quam quod ipsemet Deus in persona sua ad miserias nostras reparandas venerit; tristitiq; capax fieret, quod earum compassione tangeretur. Nec exactior esse IUSTITIA potuit, quam quod idem ipse Deus, homo factus, debita nostra persolveret, admissa in se mortis poena, quam nostra fuerat merita culpa; nec arctius germanitatis vinculum, quam reliquis hominibus eam solutionem misericordiam tribuere, quam Deus homo iustitia pro meritis fuisset. His excitabo confidentiam consequendi ab eo omnia, quae mihi expediunt: siquidem ea omnia, quae sua ipse meritis est iustitia, mihi applicat misericordiam.

III.

IV.

SAPIENTIAM quoq; immensam ostendit, dum talem modum & rationem inuenit, quam tum res aeternae, Deus scilicet & homo; aeternum, & temporale; patibile & impatibile coniungeretur: tum difficilis ille nodus solueretur, ut peccata nostra ita misericordiam condonarentur; ut iustitia nullum propterea detrimentum sentiret.

V.

Damasc. 3.
de Fide Orthodox. in iio.

OMNIPOTENTIAM suam in eo manifestavit: quod hominis honorandi & ditandi gratiam, summum, quod potuit, fecit. Nam in diuinis omnibus operibus, nullum est eo sublimius, quo Deus factus est homo.

VI.

OSTENDIT demum SANCTITATEM suam infinitam, & virtutes reliquas, dum eas Deo

VII.

homi.

homini factu infudit: quo illarum omnium exemplar esset spectabile: & nos ipsos tali exemplo ad imitationem prouocaret. gratiam interim suam nos iuuans, ne quis se posset excusare. Si enim Deus proximos diligit; quis ab ea dilectione iure se excuset? Si Deus inimicis suis benefacit; quis noceat suis? Si Deus sese demittit; quis se exaltet? si Deus patitur & tolerat; quis sit impatiens, & ferre nolit? & si Deus obedit; cur non obediat homo?

SEPTEM ergo hae diuinae perfectiones, quae in hoc Incarnationis opere eminent, incentiuum mihi esse debent ad septies in die, & septies millies si fieri posset, Deum laudandum, amandum, eique maxima, qua possum perfectione seruiendum. Si enim, antequam Deus homo fieret, exigebat a nobis *b amore ex toto corde, ex tota anima, mente, & viribus*; quanto potiori nunc iure hunc amoris gradum, & in seruitio suo feruorem exiget? Cumque amoris probatio (Gregorio teste) *opora sit exhibitio*, necesse est, re ipsa hunc amorem ostendere: studendo excellentissimas illas perfectiones: quae in hoc opere nobis sunt manifestatae, pro viribus imitari BONITATEM, inquam, CHARITATEM, LIBERALITATEM, MISERICORDIAM & reliquas, quas imitari licet: nominatim vero illas, quas incarnatus Deus ad nostrum exemplum in mundo exercuit.

OTRINITAS beatissima, quas tibi, ob manifestatas hasce excellentias, referam gratias? quas hactenus quidem intra pectus tuum clau-

fas retinebas; nunc verò in hoc opere specta-
biles nobis fecisti. Quid offerre possum, quod
exiguum non sit, ad tantum donū? Quomodo
eius causa te diligam, & seruitio tuo dignum
aliquid faciam? Ecce me, Domine, totum diui-
no tuo obsequio dicatum, cupientem ita dili-
gere te, vt à te sentio me amatum; & virtutes
mihi ostensas imitari, & siquidem, quod plus
est, donasti: da etiam quod est minus: vt te dili-
gam propter infinitum hoc in me collatum
beneficium. Amen.

MEDITATIO II.

DE INFINITA DEI
CHARITATE, QVAE IN MY-
STERIO Incarnationis elucet, ac de ingen-
tibus bonis ex eo nobis prouenien-
tibus.



QUAMVIS diuina omnes perfe-
ctiones in Decreto Incarnatio-
nis, vt diximus, emineant, omnes
tamen excellit charitas, de qua
(reliquis in 6. partē reiectis) hac
instituetur Meditatio. cuius Thema & Argu-
mentum erit Christi sententia Nicodemo pro-
posita. a Sic Deus dilexit mundum, vt filium
suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in
eum non pereat; sed habeat vitam aeternā. Qui-
bus verbi tria huius mysterij potissima membra

2 Ioan. 3. 16.

1. Ioan. 4. 9.

com-